

ΘΕΟΣ! ΘΕΟΣ!

DISPUTATIO METAPHYSICA  
ΑΝΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ,

Expendens Dogma

De

Entibus Lingvæ

introduc-tum non ita pridem, atq; defensum.

A

JOH. CARAMUELE A LOBKOWITZ

Metalog. Lib. 2. Princ. 9.

Quam

In Illustri ad Albim Academia

PRÆSIDE

UIRO Amplissimo & Excellentissimo

DN. CHRISTIANO TRENTSHIO,

Logicæ & Primæ Philosoph. Profess. Publ.

celeberrimo,

DN. Præceptore, Fautore ac Promotore suo

perpetua observantia devenerando,

Publicæ Philosophantium limæ

submittit

M. CHRISTOPHORUS LAZARUS

Brandenburgô Marchicus.

Ad diem 4. Maij, Anno MDCC LX.

In Auditorio Majori,

Horis matutinis.

a. CXXII. 61.

\*\*\*\*\*

Excudebat MICHAEL Wendt.

Coll. diss. A  
122, 61



Sächs.  
Landes-  
Bibl.





## ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΗ.

*Patronum indolem dogmatis sui novi delineantem sistens.*



Communis Philosophorum sententia est: dari Entia Rationis. Nec sine causa. Fœcunditas enim humanæ mentis tanta est, ut possit componere quæ composita non sunt, nec reverâ extant aut illo modo in rerum natura extare possunt. Chimæram horribile monstrum esse flammam fumumq; eructans, capite & jube leoninis, ventre caprino & cauda serpentina, fingunt Poëtæ monstrantq; Pictores. Placet vox; & à Philosopho Ens Rationis salutatur: quod non à natura, sed ab intellectu fabricetur. Eadem facultas fœcunda quamvis, tamen perfecta omni ex parte non est. Quam ob causam relationes sæpè, ubi veræ relationes non sunt, distinctosq; de una re format conceptus, qui quid aliud quam Rationis Entia? Inde Nomen & Pronomen, inde Genus & Species, inde Tropus & Figura aliaq; habituum instrumentalium noemata proficiscuntur. Quid? quod & non nullorum cognoscibilium imperfectio, nonnunquam menti nostræ ausam suppeditet tale quid fingendi. Cum enim adæquatum ejus objectum ens sit, cuncta ad modum entis concipere gessit, & ideò dum de Negatione aut Privatione cognitionem conatur consequi, eas sub ratione positivi considerat, sicq; denuo Rationis Entia format. Nullus ergò nisi præconcepta quadam opinione ductus, existentiam Entium Rationis vocabit in dubium. Quare Nostrates, quoties de Ente Rationis tractationem suscipiunt, quod illud detur, ferè extra controversiam ponunt, nisi quod ex Francisco Svarazio probationes aliquas notare soleant. Et rectè! Quis enim rationi & experientiæ reclamaret? Quis opinionem ac umbram non



veritatem ipsam sectaretur? Sed, eheu, per naturam ita comparatum est, ut malitia nullo non tempore vero se opponat. Prodeunt ex Scholasticis. Vallesius, Bernardinus Mirandulanus, Maironius, Erycæus & plures alii, qui omnia omnino Rationis Entia ex agro Philosophorum eliminata volunt, suæq; sententiæ semel arreptæ, nescio an depravata consuetudine seducti, an vero privata quorundam Doctorum opinione capti, tanquam scopulis quibusdam marinis ita adhærent, ut sapissimè ex sola autoritate veritatem æstiment, ac pro rationum pondere Autorum multitudinem substituunt. Idem tentat Consignator objectionum in Meditat. Renati Cartesii, qui gloriatur se jam à puero ferè Chimæris omnibus & cuivis Enti Rationis aquâ & igne interdixisse. Omniū vero acerrimè & ex professo contra illa non ita pridem egit *Joh. Caramuel à Lobkowitz, S. S. Th. D. & Profess. Monsferatensium & Dissenbergensium (Benedictinorum Cisterciensium) Antistes & Cardinalis ab Harrach Archiepiscopi Pragensis Vicarius Generalis: Denominatus Missie Episcopus &c.* cum Theologiâ rationali sive in auream Angelici Doctoris summam meditationes notas & observationes, quas vocat liberales, Philosophicas, Scholasticas, Francof. ad Mœnū in lucem ederet. Etenim multis argumentis princ. 3. lib. 2. Metalogicæ qui est Paralogus p. 43. seqq. probare nititur: non dari Entia Rationis humanæ, nec ab ulla intellectus operatione eadem formari posse. Ut autem inane hoc mentis suæ somnium ac *Φαντασμα* acrius defendere, & aliquo veritatis titulo in crustare possit l. c. princ. 9. p. 57. 58. & seq. ENTIA LINGVÆ, monstruosum & antehac in auditum dogma, introducit, illaq; in Entium Rationis locum surroganda esse rationibus non paucis censet. Vocat vero Entia Lingvæ propositiones impossibiles, nomine propositionum voces etiam compositas complectens. Dividit etiam eadem in tres operationes menti correspondentes: primam vocat denominationē, quod nomēclatrix vocabulis distingvat res; secundam Prædicationem; tertiam Syllogismum. Gloriatur postmodum se multos in suam opinionem traxisse viros doctos, qui sincerè fateantur: se nunquam aliud intelligere Entis Rationis nomine, quàm Ens  
Lingvæ



Lingvæ, ex quibus nominatim citat Caspârûm Oderwolffen Jesuitam Viennensem, quem dicit ex iisdem fundamentis summo plausu, Judæus credat, in peculiari thesi negasse Entia Rationis in Germania: Lingvæ vero approbasse. Ipse has de se anpullas projicit: *In diversis Academicis vidi illa (Entia R.) aut rejici aut limitari saltem: Viennæ anno 1647. hanc Propositionem defendi: Ens Rationis, quod habet tantum esse intellectui non datur. Lavonij eandem pluries propagavi, & Doctores audivi se nihil aliud Entis Rationis nomine re benè discussa intelligere posse, quam quod nos appellamus Ens Lingvæ. Tandem hæc sesquipedalia subjungit: Tam certa est hæc doctrina ut ab homine libero & nulli Scholarchæ obnoxio, non posse negari videatur. Entia Lingvæ loco Entium Rationis supponimus; proderit illa uberiore calamo dilucidare. Sed num toleranda sit hæc nova & verè monstruosa Philosophia, numve firmis nitatur fundamentis judicent cordati. Nos in præsentiarum de Entibus Lingvæ disquiremus, quid velint aut possint breviter demonstraturi. Ne autem Audabatarum more pugnemus & cassas in aëra fundamus voces, meditabimur quo pacto rem omnem certis includere limitibus queamus, ut de Causæ capite constet, & eò felicius alma obtineatur veritas. Sit ergo*

## ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ.

### *Statum controversiæ formans.*

§. 1. Non fert nunc animus existentiam Entium R. argumentorum pondere pariter ac multitudine contra Doctorem novum probare: cum id partim in limine præsentis Disputationis præstiterimus, partim ut certum & à sanioribus quibusvis concessum hinc loci præsupponamus. Quapropter ὡς ἐν παρῳδῳ illudimus saltem nullius momenti ratiunculam, quam in contrarium affert Caramuel l. c. princ. 3. p. 49. & 50. Entia R. inquam, ab apprehensione nunquam concipiuntur, à judicio componente seu dividente non percipiuntur, nec à tertia mentis operatione attinguntur. E. non dantur. Falsum enim est illud, falsum istud, falsum & hoc: quod firmiter probant Franc. Svaretz. disp. 54. Metaph. Sect. 1. pag. 645. Pet. Hurtadus de Mendoza disp. 19. Metaph. Sect. 1. §. 10. p. 1336. seq. Joh. Lalemandet.



part. 1. decis. disp. 2. p. 19. & part. 3. disp. 4. partit. p. 82. seq.  
Philip. à S. Trinitate part. 1. Summæ Phil. q. 1. Art. 1. p. 44. seq.  
B. Du. D. Jac. Martini partit. Metaph. lib. 2. Sect. 15. q. 1. & 4.  
pag. 1199.

§. 2. Multo minus Philosophum nostrum in jus citabimus, quod ad faciliorem Entium L. introductionem & meliorem controversiæ hujus dilucidationem p. 51. seqq. prolixè admodum doceat: non dari Entia Oculorum, Auditus, Olfactus, Gustus & Tactus: neq; Sensus Communis, Phantasiæ, Æstimationis, Imaginationis & Memoriam ad instar Entium Rationis. Quotus quisq; enim cordatorum ignorare potest, sensus externos tale saltem objectum percipere, quod esse suum habet citra esse illud objectivum in his ipsis sensibus? Quem fugit Entia R. non nisi per operationes mentis fieri: quas cum non admittant sensus externi, quomodo formabunt R. Entia? De reliquis animæ humanæ potentiis (quarum numerum absque ratione auget Novator) cõmune Eruditi judicium ferunt: nullam nempe nisi subordinatam intellectui formare Entia R. Et quamvis Phantasia interdum faciat Entia talia, quæ non habent esse nisi subjektivè in ipsa, non tamen Entia R. propriè sed analogicè saltem sic dicta format. Qua de re Svaretzius l. c. Sect. 2. p. 650. Lademandet. l. c. qui ad imaginativam quoq; brutorum id extendit. Non ergo est Caramuel quod inani hoc strepitu, quem in re manifesta cies, te quicquam pro Entibus L. allaturum credas: præsertim cum hac in parte nos non habeas dissentientes. Non equidem invidemus tibi, quod utramq; paginam objectionibus & responsionibus à colore intentionali caudæ pavonis, colli columbini & aliarum rerum petitis, impleas; mirari tamen satis non possumus, quare hoc loco, ubi non Entia oculorum vel aliorum sensuum, sed Rationis duntaxat extirpare, Lingvæ vero introducere gestis, ea pertractas, quæ nec tibi profunt nec nobis obsunt. *Multum tibi temporis* (concede dicto: verba Senecæ sunt) *verborum cavillatio eripuit & captiose disputationes, quæ acumen irritum exercent. Nectis nodos & ambiguam significationem verbis alligas, deinde dissolvit.* Epist. lib. 1. Epist. 43.

§. 3. Quid?



§. 3. Quid? quod etiam parum profecturus sis, si Doctorum errantium multitudinem, vel Academiarum diversarum pravam consuetudinem jaſtitabis. Multo minus tuum Ego hinc roboris quicquam Entibus L. adferre poterit. Non enim de autoritate, sed in natura fundata veritate quaestio agitur: non de eo quid factum sed quid fieri debuit disputatur. Autorum dictis factisq; credat Philosophus, quatenus ea firmis nituntur rationibus. Non curet istud: *ὀψὸς ἐφ' ἄρα*: quia amicus quidem Socrates, Plato & Aristoteles, sed magis amica veritas. Secus qui facit & ex sola autoritate nudisq; factis veritatem judicat, à libertate Philosophica longissimè abest, nihilq; aliud quam vilissimum est mancipium. *Quemadmodum enim* (inquit B. Dn. D. Jac. Martini in Præfat. Exercit. Metaph.) *mancipia dicuntur eo quod ab hostibus manu capiuntur & arbitrio deinde priventur: ita miserrimus hic Philosophantium grex calumniis & ibertationibus purioris Philosophiæ hostium seductus, circumventus, planeq; arbitrio suo judicioq; spoliatus, non amplius propria voluntate sed aliena libidine & nutu tenetur, ducitur & regitur.*

§. 4. Neq; tamen, si *κρυπτοφωρεῖν* deceat Philosophum, usq; adeò negamus dari Chimæras quasdam vocales seu Lingvæ Entia. 1. *Ob voces nihil significantes* quales sunt: Blictri, Syndapsus, Snirkix & aliæ objecto carentes, lingvâ saltem quæ proferuntur. In his se exerceat Caramuelis Ingenium. Formet propositiones pro lubitu: Blictri est equus, Syndapsus est leo, Blictri non existit in rerum natura & his similes. Sumat eas materialiter, sumat formaliter: appellitet voces, appellitet nomina; quamvis aliàs, si dicendum quod res est, ob defectum significationis nec Grammaticæ nec Logicæ considerationis sint, secus ac statuit Mendoza, quæ Danhavv. Id. disp. p. 190. confutat. 2. *Ob voces equivocas.* Æquivoca enim materialiter sumptâ non unum aliquem determinatum conceptum animo suggerunt, sed eundem potius ad plures & diversos conceptus distrahunt. Hinc ante distinctionem non habent significationem actualem, neq; contradictionem admittunt vel consequentiam evidentem ac certam suppeditant. Sicut Doctoris nostri exemplo utamur, Aries quatenus & quamdiu indistincte sumitur

tur



tur pro machina bellica, ovium patre & signiferi dodecate-  
 moria principe seu constellatione, certam actu significatione m  
 non habet, cum plures easdemq; diversissimas res denotet, &  
 hinc oppositionem respuat nullamq; firmam conclusionem in-  
 ferat. 3. *Ob voces compositas quæ ratione compositionis menti non  
 unum ac certum conceptum sistunt.* Hoc modo Diespiter vox, à Ca-  
 ramuele Ens L. salutatur. *Concipio n. inquit, Jovem, diem, patrem  
 tribus conceptibus distinctis. Diespitrem autem non possum concipere,  
 nec conceptu qui coalescat his tribus, quia conceptus semper est indivi-  
 sibilis, ideo apprehensio simplex nominatur: nec conceptu tertio di-  
 stincto à prioribus, quia nescio eodem conceptu conjungere contra-  
 dictoria. Paternitas supponit originem viventis à vivente in simili-  
 tudinem naturæ, ergo concipias diem esse viventem, & naturam simi-  
 lem esse Jovi, quia aliàs non esset Jovis filius. Concipias per me stat;  
 ego tamen concipere non possum.* 4. *Ob voces falsum sensum inclu-  
 dentes.* Sæpe Autores causam pro effectu, partem pro toto, in-  
 ventorem pro invento, tempus præsens pro præterito, perso-  
 nam pro persona ponunt. Quos modos loquendi omnes,  
 Caramuele judice, eodem caractere notato: cum mens Iro-  
 nias Metaphoras & Translationes nondiscat. 5. *Ob voces diver-  
 sarum linguarum eidem rei significandæ accommodatas.* Res ipsas  
 in discursum non adhibere, aut conceptus nostros immediatè  
 aliis imprimere possumus, ideoq; homines certa vocabula  
 invenerunt, quæ vel uni vel diversis rebus imposuerunt ex li-  
 bera voluntate. Unde pro more & consuetudine hujus vel il-  
 lius regionis aliis atq; aliis vocibus homines utuntur. Sic  
 eadem res, quæ in Latina Lingva notatur voce homo, apud  
 Hebræos vocatur אָדָם, apud Græcos ἀνθρώπος, à Ger-  
 manis ein Mensch. Quæ nomina Entia L. vocabis, non quasi  
 nullum involvant conceptum, sed quod lingua absq; funda-  
 mento in re ea multiplicet. Pluralitas quippe vocum non sem-  
 per rerum pluralitatem supponit. Ut Germani concipiunt  
 hominem, ita & Græci, Hebræi, Poloni, Galli, Hispani. 6. *Ob  
 prædicationes & illationes falsas ut sunt sequentes: Deus non est,  
 Homo est irrationalis, Quadratum est Sphæricum. Dies est;  
 ergo Perus legit, O homo currit; ergo aliquis homo nō currit,  
 O ho-*



O. homo est albus; ergo Petrus albus non est albus. Plures hujus generis adducit Caramuel princ. 9. p. 59. Hæc jam omnia utrum ante Caramuelem quispiam Entia L. appellarit, haud novimus; sed nec refert, ubi res satis est manifesta.

§. 5. Concedimus quoq; Entia R. interdum per Entia L. exprimi: Lingva enim vicaria mentis est, & pro arbitrio hominis nunc entis veri & positivi, nunc Rationis conceptum profert. Sic eloquimur Purgatorium, Chimæram, Hircocerum, montem aureum.

§. 6. De eo verò in præsentiarum quæritur I. An Entia L. si concedantur, in locum Entium R. communiter receptorum substituenda sint. II. An omnia aut Entia L. aut Entia R. impossibilia simpliciter dicenda sint. III. An Entia L. rectè in Denominationem, Prædicationem, & Syllogismum, tribus mentis nostræ operationibus respondentes, distinguantur.

## ΑΝΑΣΚΕΥΗ.

### *Theses contra Entia Lingvæ exhibens & probans.*

§. 1. Nos verissimam sententiam facimus nostram, adeoq; statuimus I. *quod Entia L. si concedantur, in locum Entium R. communiter receptorum non sint substituenda.* Primordialis locus, qui thesin hanc probet, esto: ab utriusq; Entis formali ratione. Argumentamur: *Q. differunt formali ratione, illorum alterum in alterius locum non potest substitui. Entia L. & R. Ergo. Major sua luce radiat: formalis enim ratio sistit rei essentiam. Ubi autem datur essentiæ diversitas, ibi convenientia talis locum habere non potest.* Assumptum ex una parte probat 1. *Entium L. appellatio.* Dicuntur ita non quod formaliter à mente concipiantur, conceptaq; demum lingvâ proferantur, sed quod à lingva orientur, & juxta suum esse in lingva unicè reperiantur. 2. *Evidens Caramuelis asseveratio. Entia Lingvæ (inquit) cum volo & qualiter volo facio lingva: In hoc mente lingva liberior est, quod non solum rebus vocabula imponat, sed & non rebus. Intellecto non potest sine objecto operari; Lingva potest. It: Reperimus in lingva voces plurimas quæ objecto carent.* It. *Componit lingva ex*

B

duobus



duobus nominibus tertium, nunquam mens. Lingua dicit Equum  
ferum & hinc Equiferum conservata utriusq; vocis entitate. It.  
Lingua mente insolentior non potest modo de subiecto impossibilia  
predicare, sed & frequentius facit. Quæ omnia naturam Entium  
L. sat abundè declarant. Ex altera parte Entium R. definitio,  
juxta quam illa formaliter sunt in nostro intellectu, ita ut ob-  
jectivè ipsi repræsententur. Non subscribimus hîc Thomista-  
rum opinioni, qui, notante Mendoza disp. 19. Metaph. Sect. 1.  
p. 1334. seqq. Ens R. vocant, quod nihil intrinsecum ponit in  
rebus, vel ut Ruvio in Tract. de Ente R. illorum sententiam  
exponit, qui denominationem extrinsecam vocant Ens R.  
Neq; cum illis facimus, qui formale Entis R. in denotatio-  
ne intrinseca ponunt, convenienti rebus certo modo cognitis,  
quæ sententia Lademandetii est disp. 2. Log. partit. 3. n. 20.  
p. 35. qui numero præcedenti 18. hanc sententiam dicit esse  
communem sensum Philosophorum, excepto Ruvio l. c. Mul-  
to minus cum Adriano Heerebord, qui postquam vol. 1. Me-  
letematum Philos. disp. 50. th. 9. Svaretzium explosisset satis,  
quasi negationes, privationes, atq; Entia ficta, ut Chimæras,  
Centaurus &c. perperam inter R. Entia referat, tandem th. 10.  
satis pro Imperio concludit: Ens R. non esse nihil, non esse Ens  
reale, sed Mediū Negationis. Cōmunem sequimur sententiam,  
quæ omniū rectissimè Ens R. describit: quod habeat esse obje-  
ctivè in intellectu. Sic n. completè & reciprocè natura hujus Entis  
explicatur. Completè: quia omnia Entia R. in uno hoc conve-  
niunt; reciprocè: quia adsunt omnia Entis R. requisita. Ipse  
Caramuel datam descriptionē ceu cōmunissimam citat princ. 1.  
p. 44. quanquam paulò post eandem malè corrigat.

§. 2. Alter locus à natura essentiæ & sui accidentis. Argu-  
mentamur. *Q. accidit Entibus R. id in eorum locū non potest substitui.*  
*Entia L. Ergo.* Major fundatur in Canone: Accidens non mu-  
tat essentiam scil. substantialiter, in primis si rei subiectæ non  
contrariatur. Minor fuit ex dicta Entium R. definitione.  
Formantur non à lingua sed à ratione, & in eadem objectivè  
existunt, licet ex parte rei non ita dentur sicut à ratione fig-  
gantur. Sive ergo lingvâ proferantur sive non, parum interest  
nihilq; essentiæ eorum detrahatur.

§. 3. Con



§. 3. Confirmamus idem à redundaturo absurdo: Si *Entia L. in locum Entium R. substituantur*; muti non poterunt formare *Entia R.* Atq; hoc est absurdum. Ergo & illud. Minorem firmat experientia. Pictor mutus licet, tamen Chimæram & cerberum portas inferorum custodientem, pingit. Pingit idem montem aureum, Hircocervum & alia quæ extra intellectum esse reale non habent. Negat Minorem Caramuel. Quod enim hæc *Entia R.* attinet, dicit ea habere existentiam extra intellectum, quia sunt possibile: item dari montem reverâ in America nomine Potasi, qui tributaverit Hispaniæ Regibus tot pondera probati argenti, ut eum vocarent argenteum: nullam quoq; esse repugnantiam, ne ex hirco & cerva per commistionem resultet tertia species, quæ participet utriusq; naturam. Ergo mutus pingens cerberum, chimæram, montem aureum, Hircocervum, & alia hujus generis, non fabricat *Entia R.* sed Entitates saltem reales spectatori repræsentat. Verum apertè falsum est quo dicit Caramuel. Quales quæso Entitates reales sunt Cerberus, Chimæra, Hircocervus, mons aureus? monstra fictitia sunt, nata in hominum cerebellis & à nemine unquam actu visa. Præterea falsa hypothese nititur Caramuel: quasi ad *Entia R.* necessariò requiratur simplex impossibilitas: *Ens rationis*, inquit, (si datur) est quod objective est in intellectu, & subjective esse in rebus non potest, p. 1. p. 43. Ex eodem fundamento postea *Entia L.* quæ vices *Entium R.* sustinere debent, vocat propositiones simpliciter impossibiles. Omnes, inquit, ista sunt prædicationes Chimerice atq; *Entia Lingua*, quæ nullam nunciant veritatem possibilem aut existentem. Hinc collige non vocari Chimericas omnes propositiones falsas, sed illas solum quæ impossibiles: quia si sint possibile, non sunt chimerice, sed reales princ. 9. p. 59. Sed num benè & sine veritatis dispendio hæc à Caramuele dicantur, Jamjam videbimus. Hinc

§. 4. II. Negamus quod omnia aut *Entia R.* aut *Entia L.* impossibilia simpliciter dicenda sint. Pro illis hoc modo ratiocinamur: *Q. non concluditur in formali Entis R. id simpliciter et non competit. Atq; tò impossibile esse. Ergo.* Major tuta est ab omni



instantia. Minor itidem clara est: Ut enim aliquid dicatur  
Ens R. non requiritur simplex impossibilitas; sed actualis non-  
existentia, tum entitatis ipsius objecti, quod in intellectu tan-  
tum objective hæret, tum prædicandi formalitatis seu illius  
quod de eodem enunciatur, ita, ut posita actuali non existen-  
tia à parte rei, ponatur Ens R. sive postmodum sit simpliciter  
impossibile, sive non. Sic Pontificii dum fingunt Purgatorium  
esse quoddam in ima telluris parte barathrum, inferno proxi-  
mum, in quo animæ eorum, qui cum peccato veniali, per satis-  
factionem nondum plenariè expiato, excedunt, conspectu  
Dei orbati, per verum & propriè dictum ignem exquisitis-  
simis tormentis excruciantur, donec ex solutis pœnis ab omni  
macula peccati expurgentur, ut puræ in cœlum ingredi pos-  
sint, Ens R. fabricant: purum putum enim est figmentum S.S.  
planè incognitum, quodq; de eodem enunciant Pontificii  
actu & ex parte rei non possidet. Quod si jam impossibilita-  
tem absolutam addere præterea velit Caramuel, id ejus libe-  
ralitati dabimus. Optimè alias Mendoza: *Colligo, inquit,  
ad efformandum Ens rationis non requiri, ut objectum actu sit im-  
possibile, sed requiri, ut objectum non sit sicut representatur per actum,  
quia in eo solo casu habet esse objective tantum in intellectu.* Disp. 19.  
Metaph. Sect. 1. §. 14. p. 1337.

§. 5. Argumentamur porro: *Cujuscunq; species aliqua sim-  
pliciter impossibiles non sunt, id est ipsum simpliciter impossibile non  
est. Entis R. Ergo.* Major probatur: quia generale ab omni-  
bus abstrahitur, ita ut in ista communi ratione omnia infe-  
riora conveniant. Quicquid unica tantum species non ha-  
bet, illud quoq; genus non potest habere. Minor per in-  
ductionem. Quædam enim Entia R. simpliciter; quædam  
certo modo impossibilia; quædam planè possible sunt. Quod  
ergo de uno, non statim de omnibus valet. Simpliciter im-  
possibile est, quod actu à parte rei non datur, quodq; omne id,  
quod intellectus actu ipsi tribuit, à parte rei non possidet, sed  
saltem per nudam fictionem mentis, & præterea absolutè re-  
pugnat, sub ea formalitate, sub qua continetur, existere, illaq;  
prædicata qua mens ei actualiter assignat, à parte rei possidere.  
Hoc



Hoc modo Deus mendax & homo irrationalis dicuntur Entia R. simpliciter impossibilia: quia nullo modo concedi potest, quod Deus actu sit aut fiat mendax, homo actu sit aut fiat irrationalis, utut intellectus utriq; per meram fictionem tale prædicatum tribuat. Certo modo tale est, quod quidem extra intellectum ex parte rei non existit, omniaq; tum attributa, tum prædicata, quæ intellectus ipsi assignat, actualiter à parte rei non possidet, non tamen ἀπλῶς, sed κατὰ τι & certo saltem respectu ea respuit. Talia sunt verbi causa: Chimæra, cerberus, Hircotaurus, mons aureus, respectu scil. naturæ. Huc spectant Relationes R. ut quando concipio Relationem similitudinis inter duo Purgatoria; vel dissimilitudinis inter Purgatorium & Chimæram, inter Cerberum & Hircotaurum. Possibile est, quod actu non existit, nec id, quod ipsi intellectus tribuit, actu à parte rei habet, nihilominus tamen illud actu habere, & ipsum à parte rei existere potest. Sic quando intellectus hominem sobrium concipit ut ebrium, format Ens R. possibile: licet enim homo extra intellectum sit sobrius, tamen possibile est, eundem inebriari. Similiter, quando Mathematicus futuram Eclipsin conjicit, tantum objective est in ejus mente, reverà tamen illa possibilis, imo, posito causarum naturalium ordine, necessaria est.

§. 6. Objicis: Exemplum melle alienum esse, cum Eclipsis habeat esse in suis causis extra intellectum Mathematici. Verum esse in causis non importat reale quid respectu Eclipsios, sed idem est quod non esse. Quod enim nec substantia nec accidens est, quomodo esse reale obtinebit? Rectè B. noster atq; Celeberrimus Dn. D. Scharffius in Præfat. Metaphys. sub lit. b. 2. *Disputant*, inquit, *Ens reale sic dici & propterea tale esse, quod non repugnat esse, id verò ens rationis dici, quod repugnat esse, ac impossibile sit: Sic enim scribunt illi p. 13. (nempe Stahlius cum suis Asserclis Compend. Metaph. c. 2.) Quicquid potest esse in rerum natura, est Ens reale, & paulo post: Nam si esse potest, hoc ipso est ens reale nominaliter voce accepta. Diximus n. ens reale (nominaliter sumptū) esse id, quod non repugnat esse. At verò erronea est illa hypothesis & falsissima. Ens rationis potest esse, ut concipitur, sicut fatetur ipse Mendoza. Ergone illud est ens reale?*



§. 7. His ita firmissime demonstratis, colligimus indubitato, nec omnia Entia L. simpliciter impossibilia esse. Sunt enim, fatente Caramuele, nihil aliud quam Entia R. non tam benè quam sivetè vulgo sic dicta. Hinc ista sermonum monstra in locum Entium R. surrogat, consentientibus viris, ut putat, doctissimis, qui itidem Entis R. nomine prorsus nihil aliud intelligunt quam Entia L. Posito jam, non tamen concessio hæc vera esse, an non spontè sequitur: & quædam Entia L. secundum quid saltem impossibilia, quædam quoq; possibilia esse? Certe ita est!

§. 8. Nec divisio Entium L. in Denominationem, Prædicationem, & Syllogismum, tribus mentis nostræ operationibus respondens legitima censeri potest. Demonstramus hoc primò κατ' ἀλήθειαν sequenti Syllogismo: *Q. divisio non observat leges bonæ divisionis, illa legitima non est. Hæc Entium. L. Ergo. Major satis firma est: cum omnis divisio bona niti debeat necessariis & sufficientibus fundamentis, quibus negatis & ipsa negatur. Minor: Omittit enim potissimum requisitum quod est distinctio membrorum oppositorum ad minimum formalis. Ac verò denominatio, prædicatione & Syllogismus, licet aliàs quo ad conceptus mentis, quos repræsentant, inter se differant; non tamen differunt formaliter quo ad linguam, utpote quæ uno eodemq; modo ad omnia illa concurrat: sive eloquatur denominationem, sive prædicationem, sive Syllogismum, semper eodem modo se habet tanquam organum ad voces efformandas.*

§. 9. Secundò κατ' ἀνθρώπων ex verbis Caramuelis, quæ sui planè immemor adducit p. 59. *Vocales omnes Chimæra,* inquit, *ad secundam operationem pertinent formaliter, vel reductivè. Ratio est, quia hæc vox Diespiter ex eo habet chimericam significationem, quod æquivalet huic iudicio, Jupiter est diei pater. Κακοθεός idè est vocale monstrum, quia coniungit malitiam cum Deo in hac enunciatione, Deus est malus.* Argumentamur: *Quæ ad unam mentis operationem pertinent, illa non sunt ad diversas referenda. Entia L. Ergo. Minor Caramuelis est. Major probatur: quia species una nec formaliter nec virtualiter est altera*

altera



altera opposita species, nec formaliter aut virtualiter illam suo complexu continet. Sicut ergo homo nec formaliter nec virtualiter est brutum, neq; item formaliter aut virtualiter in se complectitur brutum: ita operatio secunda nec formaliter nec virtualiter est prima vel tertia operatio, neq; etiam formaliter aut virtualiter easdem in se complectitur. Ηλα νόησιν τῶν ἀπλῶν; ista λογισμὸν ἢ Δείξιναι; hæc σύνθεσιν καὶ Δείξεσιν exhibet, quæ, ceu distinctissima, in unum corpus temerè non sunt confundenda.

## ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ.

### *Argumenta contraria exceptionesq; Caranielis percurrentes.*

§. 1. Ne aliquo in loco partibus nostris deesse videamur, placet ea argumenta, quæ in contrarium affert Caraniel, paucis attingere.

§. 2. Tale autem veritati primæ thesios opponit argumentum: *Si mente concipere non possum Hominem irrationalem, Nigrum disgregativum visus, Deum mortalem, mente non possum judicare Hominem irrationalem, Nigrum disgregare visum, Deum esse mortalem, mente non possum inferre ex humanitate irrationalitatem, ex nigredine disgregationem visus, ex divinitate mortalitatem, & tamen hæc omnia, cum volo & qualiter volo, facio lingua; sequitur dari Entia Lingua. Sed prius est verum, quia hæc evidens experientia demonstrat. Ergo & posterius, scil. dari Entia Lingua.*

R. 1. Argumentum non probat quod probandum erat. Quæstio est: an Entia L. in locum Entium R. surroganda sint; non vero: an quædam Entia Lingvâ proferri possint. Posterius concedimus; prius autem falsum esse, in membro præcedenti dedimus probatum. 2. Minor negatur: contrarium enim ratio & experientia evidenter docent. Homo mente concipit, mente judicat, mente infert, i. e. fingit hominem irrationalem, Deum mortalem, nigrum disgregativum visus: extra intellectum enim neq; irrationalitas in homine neq;

nocta-



mortalitas in DEO, neq; disgregatio visus in nigredine datur. Imo, quia de Entibus L. ratiocinatur Caramuel, necessum est ut eadem mente cognoscatur, nisi frustra disputationem de iisdem instituere velit. Urget pro minore, voces non significantes, æquivoca, verba falsum & contrarium sensum denotantia, prædicationes ac illationes falsas, & ejus farinae alia. Verum à statu controversiæ denuò abludit: admisimus supra talia Entia L. quæ quidem ante Caramuelem nemo tali nomine insignivit. Certè hoc modo, ut cum Adversario loquar, nec juniorum nec veterum rationes & argumenta Entia L. probabunt; at Entia R. improbabunt.

§. 3. Contra thesin secundam & tertiam quæ affert, partim principium petunt, dum supponunt, Ens R. si detur, propriè nihil aliud esse, quàm quod objectivè existit in intellectu, & subjectivè in rebus existere non potest: partim à dicto secundum quid ad dictum simpliciter malè colligunt, dum ex simplici quorundam Entium R. & L. impossibilitate omnium adstruere volunt, & quæ similia sunt, in quibus solvendis nolumus tempus perdere. Manet interim qVOD CARAMUEL  
erret.

SOLI DEO GLORIA!



*Coll. diss. A. 122, misc. 61*